



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

9. Et ne velitis dicere intra vos, Patre[m] habemus Abraham.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

gem præscribimus, quia Ioannes solos Iudæos baptizauit, & soli Iudæi confitebantur illi peccata sua. Sed quemadmodum contra Ioannis exemplum hac in re non præscribitur, sic nec in altero.

9. *Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham.*

TORQUETHÆC verba Caluinus contra vniuersum clerum Catholicum, qui veram Christi Ecclesiam apud se esse, neque deficere posse affirmat: quia vult Deus in mundo agnosci, nomēque suum inuocari, alibi autem non posse esse Ecclesiam quā apud ipsos, apud quos Dominus fœdus suum deposuit. Hæc ille Catholicorum nomine. Veram quidē Ecclesiā Christi deficere nullo modo posse, nec alibi inueniri quā apud Ecclesiarum præpositos, ac magistros, eorumque greges, in libris de Principijs fidei doctrinæ contra omnes hæreticos demonstratum à nobis est. Sed tale aliquid Pharisæis à Ioanne hoc loco obiectum nec fuit, nec si fuisset, contra verā Christi Ecclesiā aliquid valeret. Tamen enim Pharisei & Sadducei hoc temere fecissent, non propterea veri Ecclesiarum magistri veram sibi Ecclesiam veditare non debent. Cæcus hæreticus non videt tam contra sectam suam aut aliā quamlibet hoc argumentum valere, quā contra veram Catholicam Ecclesiam. Sed veræ Ecclesiæ refutandæ auidus, quid contra sectam suam perinde valeret, non aduertit. Desperans Caluinus de sua secta, quod pro vera Ecclesia vquam haberetur, audacter ea disputat quæ veræ Ecclesiæ auctoritatem quoquo modo labefaciāt. Cæterum quum Phariseos acriter taxasset, Ioannes, ne id egrius ferrent, monet, ne quod de genere Abrahamæ essent, quod Deus sibi in peculium adoptauit.

Ecclesiæ
veræ per-
petuitas.

Lib. 4.

adoptauerat, gloriarentur, quasi hoc ad salutem satis esset, qui non sequerentur fidem Abrahę, nec facerent opera Abrahę. Nam tametsi illi omnes Abrahę fidem & pietatem desererent, potest tamen Deus suscitare etiam ex lapidibus terrę novos filios, nouum semē, nouū populū fidelem ipsi Abrahę, id est, qui semē Abrahę vocari possent propter fidem & opera Abrahę quę imitarentur.

Verum enim uero contra hereticorū imputatiuam iustitiā valet insigniter hic locus. Dicunt heretici homines ex sese impios iustificari & pro iustis à Deo approbari quatenus per fidem in Christo sunt, qua Christi iustitiam illis imputatam apprehendunt. Hoc est enim iustificare impiū, vt ad Rom. 4. exponit Beza. Contra hos merito dicitur, Nolite dicere, mediatorem habemus Christum, sed si Christi estis, opera Christi facite, mandata eius seruate, nec sola fide in Christum contenti estote. Sic enim isti Pharisei fidem Abrahę tenebant, eundem Deum colebant, eadem Circumcisione utebantur, eundem Messiam Abrahę repromissum expectabant: & quia in eodem fœdere cū Abraham erāt, certō sibi salutem promittebant. Sed Ioannes contra hanc inanem fiduciam monet, ne de patre Abrahā gloriantur, sed eius quoque obedientiam & bona opera imitarentur. Ideo subiunxit: *Omnis arbor quę non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Eodem modo Christus postea eisdem de Patre Abraham gloriantibus dixit. *Si filij Abrahę estis, opera Abrahę facite.* Sic contra Calvinum maxime eiusque sectatores hic locus valet.

Imputati-
ua iustitia
refellitur.

Ioan. 8.